

CONCILIVM PROVIN. COLONIEN. 101

Quod si fabricæ aut alia necessitas ecclesiæ immineat, satius est vt quod in communem vertetur vtilitatem, ex communibus redditibus desumatur, q̄ vt quis priuatim grauetur, Euangelicum præceptum est, in quo **Math. 7** vniuersa lex consistit & prophetæ: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Et: Quæcunque vultis vt faciant vobis homines, hæc & vos facite illis. Ad hanc regulam, veluti ad Lydium quendam lapidem, omnes actiones suas, quum omnes Christianos, tum viros ecclesiasticos redigere, æquum est pariter ac necessarium.

Tribunalia extra templa collocanda. Cap. XXIII.

Ex cõci. Lu
gdu. c. decet
de im. eccle-
siæ. li. vi.
Cum in quibusdam nostris templis iurisdictionis ecclesiasticæ Officiales pro tribunali sedeant, ad quod interdum multo cum tumultu concurrunt, delitigaturq̄, visum nobis est, vt hæc tribunalia, foris, intra tamen ecclesiarum pomeria, collocentur. Cordi siquidem nobis est, vt quæcunque diuinum officium perturbare possunt, aut diuinæ maiestatis oculos offendere, e templis eliminentur, ne vbi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendantur peccata committi.

Optandum, vt deambulationes in hisce ecclesijs prohiberi possint. Cap. XXV.

Atque vtinam commodæ deambulationes etiam illas laicorum (qui ad cathedrales ac collegiatas ecclesias sola rerum nouarum curiositate ducti confluant, ibidemq̄ nihil minus quam de rebus sacris, quæ inspectantibus illis aguntur, cogitant) submouere possimus. Grande equidem putamus piaculū, tam veneranda mysteria, quibus astat deus, & inter quæ Christi corpus & sanguis conficitur, tam irreuerenter haberi, tacemus q̄ domus dei contemnitur, de qua Christus eiecit ementes & vendentes, & non sinebat, vt quis transferret vas per templum, & dicebat docens: Nonne scriptū est, Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum? Duplici cura hic videbitur opus, tum vt prædicatores verbi dei ex suggestis populum ab istis deambulationibus ex scripturis deterrant, tum vt magistratus ciuiles huic rei corrigendæ officium accommodent, cum quibus hac de re agemus.

Marci. ii.

Theatrales ludos non inferendos templis. Cap. XXVI.

Inno. 3. c. cõ
decorem, de
vii. & ho. cl.
Olim theatrales quoque ludi & laruarum ludibria inferebantur pessimo quidem exemplo, adeo vt prouisione canonica (qua is teterrimus abusus aboleretur) opus fuerit, quem ex nostris diocæsibus, iam, vt speramus, eiectum gaudemus.

Cuiusdam abusus abrogatio. Cap. XXVII.

In qui